



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Archdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

P. 4. Satisfactio ante Absolutionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40853

Scopulus hic cautè vitandus, alias alterutra ex parte in doctrinam damnatam necessariò impinges. Cautè etiam examinanda sunt Missionario de absolutione pœnitentis in Sacramento pœnitentiæ alia dogmata hic sequentia.

P. 4. Satisfactio ante Absolutionem.

Non licet Sacerdoti peccatorem absoluerè nisi prius satisfactionem injunctam expleverit.

Constat autem in Petro de Osina Doctore Salmanticensi damnatam esse à Sixto IV. hunc articulum: *Non peractâ pœnitentiâ confitentes absolui non debent*: patet ex Bullarii tom. 1. bulla 17. Et sanè si ista praxis nova servanda foret, nullo modo excusanda esset Ecclesia, quæ istum ordinem inter partes Sacramenti necessarium, per tot sæcula in hunc usque diem inverti permisisset, præsertim cum aliqui velint ordinem illum ad valorem Sacramenti necessariò pertinere.

P. 5. Confessionis institutio.

2. **C**onfessio præcipuè instituta est, ut Sacerdos jungat idoneas pœnitentias ac satisfactiones, quibus ante absolutionem peccati malitia deleatur.

Vide an hoc viam non sternat, ut Absolutio censeatur nudum & inane ministerium si ante illam delenda sit peccati malitia, non verò dici debeat absolutio sententia judicialis per se remissiva peccati. Talem sententiam absolutionem esse affirmat, nudum verò ministerium esse disertè negat Tridentinum Sess. 14. cap. 6.